

Signum ☩ ☩ ☩ ☩ manu dicto
Leo de Paulo, Geminiani, Stefanus, qui d. . . . de
Baldo, ad omnia dicta, cui relictum est.

☩ Stefanus filio quondam Cristofalus hujus
Cartula Peticionis, sicut supra legitur, roga-
tus subscripsi, & anc cartula tradita vidi.

☩ Petrus ujus cartula Peticionis, sicut supra
legitur, rogatus subscripsi, & anc cartula tra-
dita vidi.

Andreas in Dei nomine Tabellio Civitatis
Ferrarie, hujus cartula Peticionis, sicut supra
legitur, post tradita compleri & absolvi.

Undecima Indictio, quæ heic scripta est, ad
Annum Christi DCCCCLIII. spectat, non verò
ad DCCCCLII. ut ego statui. Verum si cum
superiore Charta istam conteras, pugnam inter
eas deprehendes, atque heic scribendum duces
Indictione Decima. Ego nihil immutatum vo-
lui, ut cuiusdam & Lectoribus sese exercendi,
quum libuerit, occasio superfit. Inde ergo Li-
belli (nunc Italici Livello) appellatio nata est
ad Emphyteutes designandas, quod impetratu-
rus eo titulo fundum, supplicem antea Libel-
lum offerre Domino fundi consuevit. Ad idem
persuadendum accedit altera appellatio, scilicet

A Precaria: quo etiam nomine antiqui significare
soliti sunt Emphyteusim. Ideo enim ea vox
invaluit, quod adhiberentur preces, ut fundus
ad utendum ac fruendum concederetur, quam-
diu Domino placeret. Ulpianus & Paulus,
Jurisconsulti veteres, Precarii vocem eâ sub-
ratione explicant. Precarium, ajunt, in edicto
Prætoris est, quod precibus petenti utendum con-
ceditur, quamdiu is, qui concessit, patitur.
Propterea Abo Floriacensis Abbas Canone 7.
apud Mabillonium in Analectis describit Precar-
ias, quæ ex conventionibus sunt, & precibus ob-
tinentur. Attamen aliquid discriminis interces-
sisse inter Libellos & Precarias, innuere vide-
tur Charta, quam ex antiquissimo Regeſto Rei-
publicæ Mutinensis depromi. Sæpe lites effere-
bant inter Episcopos & Clerum Mutinensem,
ac Cives, Emphyteusim causâ: contententi-
bus iis, hos aut ob pensionem non solutam,
aut ob mortem alicujus, aut alias ob causas,
excidisse e jure suo, ac fundos directis Domi-
nis esse restituendos. Contra nitebantur Cives.
Quare post diuturnum certamen ad istam con-
cordiam devenit, quæ adhuc in Civitate
nostra viget.

Concordia inita inter Rempublicam, & Episcopum, aliosque Ecclesiasticos Civitatis Mutinensis causâ Feudorum, Precariarum, & Libellorum, Anno 1182.

I N Christi nomine. Anno a Nativitate ejusdem
MCLXXXII. Indictione XV. die Dominico
II. Kalendas Novembris. Regnante invictis-
simo Imperatore Frederico. Cum lites & contro-
versa esset inter Commune & Populum Mutine
ex una parte, & Dominum Ardicionem Episco-
pum, & Dominum Bonifacium Prepositum &
Canonicos Ecclesie Majoris pro Ecclesia, & Do-
minum Michaelem Abbatem Sancti Petri, & Do-
minam Mariam Abbatisam Sanctæ Euphemie
pro Ecclesiis suis ex alia, de Lege municipali &
ordinamento Civitatis & Populi, quam consti-
tuerant tam in terris predictarum Ecclesiarum,
quàm aliorum hominum, quod tale est: Ut qui
habent, vel habebunt domos vel casamenta in
Civitate Mutine vel extra, infra hos fines, vi-
delicet a Formizine ad Civitatem, & a Prato
Tenzonis ad Civitatem, & a Millitaria ad Ci-
vitatem, & a Fossato Novo ad Civitatem,
possint ea, salvâ Domini pensione, quocumque
modo voluerint, dare. Et ut qui habent vel
habebunt domos vel casamenta in Civitate vel
extra, infra predictos fines per Feudum, suc-
cedat filia femina, si masculus defuerit, in pre-
dicto Feudo: & possint ea, quoquo modo vo-
luerint, alii concedere, dum tamen non per
proprium. Et si ille, qui concessit domum vel
casamentum, quod habebat per Feudum, sine
filiis decesserit, Dominus non possit auferre
dictum Feudum, sed recipiat qui Vassallus erat
solutus recipere. Item ordinarunt Cives Mu-
tine, ut finitâ Prechariâ Dominus cogatur eam
renovare per decem Solidos unumquemque ju-
gerum infra predictos fines: extra vero illos
fines cogatur Dominus renovare bubulcam pro
duobus Soldis, & Precarii teneantur renovare
Libellariis secundum quod ipsi renovabunt a
Dominis. Et Libellarius similiter teneatur re-
novare Libellario; nec Dominus possit auferre
terram Libellario eâ occasione, quod Precarius
decesserit sine liberis, sed teneatur Dominus ei
secundum predictum modum renovare. Et ut

C in omnibus superscriptis capitulis non amittat
quis jus suum, eo quod aliquo tempore stete-
rit, quod non solverit pensionem, sed teneatur
eam duplare. Et si Dominus in petenda pen-
sione aliquas expensas fecerit, siue in Advocato
proprio siue communi vel Judici, ille, qui de-
buit eam solvere, omnes illas expensas resar-
ciat, quas predictus Dominus occasione pensio-
nis sine fraude suo juramento monstraverit se
fecisse. Et ordinarunt ea, quæ supra dicta
sunt de Prechariis & Libellariis, servari so-
lummodo in illis personis, qui perpetui sunt vel
erunt Cives & habitatores Civitatis Mutine vel
suburbiorum sine fraude, & tam in presentibus
quàm in futuris negotiis. Item ordinarunt in
D Prechariis, quod si Precharius decedat sine illis
heredibus, qui debent succedere per pactum
Precharie, tunc femine ex eo dependentes suc-
cedant, sicuti masculi debent succedere, predi-
cto modo renovandi eis servato. Et ordina-
runt, ut possessores illorum fundorum, ex qui-
bus aliqui redditus solent prestari, prestent illos
reditus semper quandiu possident; & si ad alios
possessores pervenerint, novi possessores supra-
scriptos redditus cogantur prestare. Et si predi-
cti Domini tam Clerici quàm Laici predictas
Precharias & Libellos renovare distulerint, ut
supra scriptum est, postquam requisiti fuerint a
Prechario, vel Libellario, vel eorum Nuntio,
& trina denuntiatione facta per Rectorem Ci-
vitatis, vel ejus Nuntium, proinde habeatur,
ac si Precharia, vel Libellus renovatus fuisset.
Nec interim, donec renovet, teneatur pensio-
nem prestare. Ita tamen ut quandocumque vo-
luerit ei renovare, cogatur Precharius vel Li-
bellarius solvere predicta in renovatione cau-
tam, Soldos octo scilicet, vel decem pro juge-
ro, ut supra scriptum est.

E Compromiserunt pariter Dominus Episcopus &
predicti Clerici & Abbatisa consensu Monacho-
rum & Monacharum, & Consules pro Communi
in sex idoneos viros & honestos, & predicti
Epi-